22,7

SACRA ANNIVERSARIA

ILLUSTRIS GYMNASII

FRIDERICIANI ALTENBURGENSIS

ANTE DIEM IV. NONAS NOVEMBRES POST
HORAM X. MATUTINAM

IN AULA JOSEPHINI

PIE CELEBRANDA

INDICIT

JOHANNES HENRICUS APETZ,

PHILOSOPHIAE DOCTOR, GVMNASII PROFESSOR.

DE VOCIBUS NONNULLIS HOMERICIS DISSERITUR.

ALTENBURGI,
EX TYPOGRAPHEO AULICO.
MDCCCXLVI.

ALTE
2 (1846)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Homeri carmina legentes in vocabula passim incurrimus, quorum sententia, quum nec veterum commentationibus, neque nostrae aetatis studio et doctrina satis explicata sint, vel hodie in disceptationem vocari posse videantur. Forma eorum et compositio, asperitas et barbarus sonus a legibus et suavitate graeci sermonis tantum abhorrent, ut facile intelligatur, cur interpretes, si accesserint vel ad originem eorum explorandam, vel ad grammaticam rationem indagandam, vel denique ad notionem eorum inveniendam, ideo quidem, quod, reliquarum linguarum ope neglecta, omnia ex graeci sermonis usu repetere conabantur, parum aut nihil omnino profecerint. Quod si viris ingenio et doctrina prae caeteris excellentibus accidisse videmus, non mirabimur, quod alii de feliciori successu desperantes inutili labore abstinere, quam ineptas et futiles sententias excogitare maluerunt.

At non omnia, quae Homeri lectionem morantur, ita sunt comparata, ut sperare non liceat, fore, ut diligentiori inquisitione, quae impedita sunt, expediantur, quae obscuriora sunt, novo lumine admoto illustrentur discussisque, quibus involvitur vetustas, tenebris, in clara luce collocata appareant. Viam, qua incedendum est omnibus, qui de sermone Homerico disputaturi sunt, Cl. Buttmannus praeivit. Is enim vir omnium γραμματικώτατος quum Lexilogum conscriberet, quantum sagax eademque circumspecta interpretatio, ubi praeterea amplissimae eruditionis apparatus praesto esset, tum ad errores veteres removendos, tum ad veri investigationem valeret, plurimis praestantissimis exemplis comprobavit. In eo tamen vir cl., non dicam peccavisse, id enim vetat modestia, at desiderio nostro defuisse videatur, quod comparatione dialectorum semiticarum neglecta quaestiones suas ex unius graeci sermonis norma et legibus construit.

Longe quidem absum ab illorum opinione, qui propterea, quod non pauca verba sono et significatione simillima graeco et semitico sermoni communia essent, has

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

duas linguas cognationis vinculo conjunctas ex una parente prognatas esse voluerunt. Constat enim hodie inter omnes harum litterarum cognitione vel leviter imbutos, linguas Europae omnes, Asiae et Africae plurimas duas amplissimas stirpes adtingere, ex quarum altera, indogermanicam dico, graeca lingua prodiit, ex altera semiticae dialecti profectae sunt. At vereor tamen, ne viri docti indagationem et comparationem verborum, quae his linguis communia sunt, sive quod acta agere nollent, sive quod incuria has minutias praeterirent, sive denique quod contemtione quadam has nugas despicerent, justo plus neglexerint. Quotiescunque enim Homeri carmina lectitans in voces inciderem, quae indole sua ab Homeri aetate aliena ad vetustatem monumentis antiquissimis graeci et semitici sermonis longe superiorem pertinere viderentur, mentis cogitationem ad priscum illud aevum delatum sensi, quo origines generis humani et prima omnium linguarum initia recondita jacent. Haec investigare, haec meditatione persequi tantum habet delectionis, ut haud sciam an alio quo studio animus magis allici et jucundius affici possit.

Quod si quis dicat, litterarum studium gravius esse, quam cui disputatione de earum oblectamentis satis fiat, is mecum animum adtendat ad fructus, qui ex comparatione semiticarum dialectorum in accuratiorem graeci sermonis cognitionem redundant.

Numerus litterarum, quo tempore a Phenicibus ad Graecos translata sunt, nondum tantus erat, ut omnibus sonis, quibus illae gentes in sermone utebantur, designandis sufficeret. Quum igitur sermonis consuetudo accuratiorem scripturam exegisset, utraque gens litterarum seriem pro suo ingenio auxit et amplificavit. Quantumvis autem Graeci in omnibus, quae ad artes et litteras spectant, caeteris gentibus praestiterint, hoc uno tamen inferiores fuerunt, quod Semitae mira admodum sagacitate subtilissimas soni diversitates, quae voce humana proferuntur, et indagarunt et propriis figuris descripserunt.

Exemplo sunt signa spiritus, quo vocales exhalantur. Veteres Hebraei, ut vel leniorem vel fortiorem ejus sonum indicarent, quatuor, si Vau additur, quod interdum hac vice fungitur, quinque litteris utebantur. Arabes, qui subtilius distinguunt, sex diversis signis haec discrimina significant. Graeci tria tantum signa invenerunt, spiritum lenem, spiritum asperum et litteram *Chi*. Quae quum vero non sufficerent, ut spiritus varietas, quali dicentes utebantur, in oculorum con-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

spectum venirent, fieri non potuit, quin saepius verba sono et litteris dissimiles similibus litteris scriberentur. Volventibus vero annis quum asperitate vocum emollita vestigia diversae indolis sensim deleta et societas intima, qua verba ab eadem stirpe oriunda inter se conjuncta esse solent, dissoluta essent, a posteris priscae eorum originis oblitis, quae cohaererent, diremta, quae diversa essent, commixta sunt atque confusa. Quo factum est, ut in veterum Graecorum scriptis saepius verba offendamus, quae si ex sermonis usu et consuetudine judicantur, variam et multiplicem interpretationem permittunt. Quare iis post multa interpretum commenta etiam nostra aetate dubitatio inhaeret, quamnam sententiam antiquissimi illi scriptores iis inesse voluerint.

Huc accedit, quod voces intermediae, per quarum seriem continuam a prima origine ad extremam propaginem descenditur, iniquitate temporum non raro interciderunt. Quid mirum, si interpretes, ubi vestigia deessent, quae sequentes ad prima initia adscenderent, sive ex probabili dictorum sententia, sive ex derivatione prorsus aliena imo interdum ineptissima conjecturam capientes longissime a veritate aberraverunt? Quae quum ita sint, equidem non video, quare vituperemus, si quis abstrusas quasdam remotissimae aetatis voces interpretaturus, postquam omnia subsidia, quibus hunc in finem uti potuit, exhausta sunt, ad copiam dialectorum semiticarum tandem confugiat. Neque vero eas frustra in auxilium vocabimus.

Nam tria potissimum emolumenta ex comparatione earum proficiscuntur. Primum enim ejus ope voces semiticis gentibus propriae dignoscuntur, quae mutua inter Graecos et Semitas sive commercii sive belli communicatione in graecum sermonem translatae sunt. Plurima exempla in Graecorum libris exstant, cujus generis sunt ἀκινάκης, βύσσος, σινδών, κάννη et alia multa. Quae quum parum ad Homeri sermonem attineant, hoc loco praetermittimus.

Alterum emolumentum, quod inde capimus, in eo positum est, quod verbis quibusdam, quorum sententiam ex orationis contextu et consuetudine non satis perspicua est, saepius ex semiticis dialectis lux affulget, qua tam egregie illustrantur, ut amplius de eorum sensu dubitari nequeat. Exemplo ex Homeri carminibus deprompto hoc probare conabimur.

Iliad. IX. 201 narratur, Phoenicem, Ajacem et Ulyssem ab Agamemnone ad Achillem legatos venisse, ut eum Atridae reconciliarent. Heroës fortissimos,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quorum adventu summo gaudio afficitur, laute et honorifice excepturus Patroclum his verbis alloquitur:

Μείζονα δὴ κρητῆρα, Μενοιτίου υἱέ, καθίστα.
Ζωρότερον δὲ κέραιε!

Varias vocis ζωρὸς explicationes, quas veteres interpretes vel laudabiles vel ineptas excogitaverunt, legimus in Eustath. comm. 746. 40. seqq. Alii explicarunt *vinum multorum annorum, vetustum.* Derivant ex ζῶον (rectius ex ionico ζῴω) et ὥρα, *hora, tempus.* Quam ineptissimam omnium interpretationem missam facimus. Alii interpretati sunt sive ab eadem origine, sive invitis grammaticae regulis a ζέω, *fervere,* derivantes *vinum vividum, fervidum.* At nemo facile his assentietur. Alii *vinum magis mixtum,* h. e. *bene mixtum* intelligunt. Quod quomodo nostro loco conveniat, ego quidem non intelligo. Num *rite mixtum?* At qui Achilles epinari poterat, Patroclum artis vinum miscendi tam imperitum fuisse, ut hoc eum monere opus esset? An *parciore aqua mixtum?* At quomodo ea vis in comparativo inesse possit, non magis video. Ad Empedoclem provocant, cujus versus exstant in Eustath. comm. l. c.

Αἶφα δὲ θνητὰ φύοντο τὰ πρὶν μάθον ἀθάνατ' εἶναι,
Ζωρά τε τὰ πρὶν ἄκρητα.

ubi ut mortalibus immortalia, sic ζωρὰ h. e. mixta non mixtis opposita sunt. Quaeritur autem, unde Empedocles sua sumserit, num ex communi sermonis consuetudine, an ex prava Homeri interpretatione? Quae conjectura non adeo perversa videbitur iis, qui etiam philosophos dicta sua a poëta mutuatos esse non ignorant. Omnino autem ad explicationem Homericorum verborum usus sequentium temporum caute adhibendus est.

Alii denique ζωρὸν interpretati sunt *purius,* h. e. *parciore aqua commixtum vinum, merum.* Hac nobiliori potione Achilles amicos recreare voluit atque honorare, itaque Patroclo acclamat: Vinum purius misce! Ex veterum libris scimus, Graecos mero non prorsus abstinuisse imo quosdam ejus tam cupidos fuisse, ut nimio poculorum numero mortem sibi consciscerent. Herodotus historiarum lib. VI. cap. 84 narrat, Cleomenem Lacedaemonium meri potum a legatis Scythicis edoctum fuisse. Num vero Cleomenes demum a Scythis didicerit, meri saporem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vini dulciorem esse, alii meri sapientiores judicent. Ego enim dissertationem de sonis et formis verborum potius, quam de sensuum voluptatibus scribens lectores vini virtutibus non diutius morabor. Hoc unum adjicere liceat, Venusinum vatem, nisi opinio fallit, illud *tolle merum* ex Homero depromtum in suum usum vertisse.

Ζωρὸν igitur *purum* est. Quod quum ipsius loci excitati et testimoniis veterum comprobetur, tum vero Semitarum sermone ita confirmatur, ut quod amplius dubitetur, superesse non videatur.

Radix per omnes dialectos semitarum propagata fuit טהר, *purum, mundum esse*, qua cum aliarum rerum, tum animi humani candorem et sinceritatem declarabant. Neque tamen eam primam et nativam verbi notionem fuisse, facile concedet, qui mecum reputaverit, homines, quum sermonis initia conderent, ea maxime verba usurpasse, quibus res sensibus perceptae indicarentur, eaque deinceps ad omnia caetera, quae a sensuum perceptione abhorrerent, translata esse. Exstant vero prima illius vocis vestigia in Hebraeorum צהר, lux, splendor, צהרים, duplex lux, meridies, et in Arabum *dsahara*, *ardore laesit* (sol). Lux solis omnibus temporibus imago fuit puri et casti, atque ut per omnes terras diffunditur, ita quoque omnium terrarum gentes candorem ejus ad alias res transtulerunt natura sua puras et sinceras. Jam si verum est, Semitas verbo צהר rem et lucentem et puram nominasse, quidni verbi *Ζωρὸν* eandem vim et usum fuisse statuamus? Vox igitur fuit ex prisco aevo ad graecas gentes tradita, quae jam Homeri aetate obsoletior ideoque ad epicum sermonem quam ad vulgarem linguam aptior post eum demum ex usu et memoria excidit. Semitae autem, ad quos ex remotissima aetate pervenerat, eam retinuerunt et ad multas alias notiones deflexerunt ita, ut in originibus eorum prole uberrimis numeretur.

Jam ad tertiam utilitatem transeamus, quae ex semitici sermonis comparatione captam ad interpretationem graecorum librorum conferemus.

Verba etiam in graeco sermone reperiuntur, quae etsi diversa admodum significant, tamen inter se cohaerere et ad notionem aliquam omnibus communem attinere videntur. Interdum sententia eorum clara est atque perspicua, ut utrum ad notionem illam respiciamus, nec ne, non adeo multum intersit. At sunt alia magis obscura et dubia, quae nisi notione aliqua inventa, in cujus partem singula quaeque veniant, incertiora manent et dubitationem relinquunt. Quae quo rariora sunt et a vulgari sermonis usu magis aliena, ita maxima de iis dubitatio exoriri solet. Interdum tamen adhibito sermonis semitici auxilio notionem aliquam omnibus com-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

munem reperiemus, qua inventa et dubitationem remotam et quae incerta fuerunt, certiora facta videbimus. Ex multis, quae in Homeri carminibus exempla exstant, unum proferam.

In epithetis, quae in Iliade et Odyssea aeri attribuuntur, sunt *αἴθοψ*, *νώροψ*, *ἤνοψ*. Primum quid de extrema compositi parte statuendum sit, videamus. Syllaba *ὀψ* nominibus, quibus adjuncta est, eam vim attribuit, ut res quaedam vel speciem vel colorem habere dicatur ejus nominis, quod prior pars compositi est. Sic *μήλοπα καρπὸν* Od. VII. 104. fructum significat, qui speciem *μήλων* h. e. malorum cydoniorum colorem habet, flavam Cererem, triticum. Germanorum sermone dicas „*quittenblickend, quittenfarbig.*" Graecae linguae sunt duae radices, quarum alteri *ΕΠ* dicendi, alteri *ΟΠ* videndi notio propria est. Epica dialectus quodammodo quidem eas discernit et sejunctas tenet. Ad alteram enim seriem ab *ΕΠ* incipientem pertinent *ἔπος*, *ἁμαρτοεπής*, *ἀπτοεπής*, *νήπιος*, alia hujus generis. Alteram seriem decurrunt *ΟΠ* in *ὄψεσθαι*, et *ο* in *ω* mutato *ὤψ* Od. I. 428. *Εὐρύκλει*, *Ὤπος*, *θυγάτηρ*, *εἰς ὦπα*, *ἑλίκωπες* cum femininis *βλοσυρῶπις*, *γλαυκῶπις* et similibus, deinde *ὠπή* in compositis *ἐνωπή*, *περιωπή*, et syllaba auctum *ὀπωπή*, denique *πρόσωπον*, *μέτωπον*, *ἐνώπια*, *εἰςῶποι*, *ἐνωπιδίως* et quae reliqua sunt. At sunt alia quoque verba, quae inter has duas series interposita ab altera formam, ab altera notionem acceperunt. Sic nomen *ὄψ* in Homeri rhapsodiis semper *vocem*, nunquam visum indicat, *ἐνοπὴ* est *clamor* ideoque ad *ἔπος* pertinet. Nescio igitur, an non utraque stirps ex una radice profecta sit. Vocales enim praesertim *E* et *O* inconstantes sunt et ita mutabiles, ut ubi de vocum natura et indole dijudicandum sit, nihil omnino prosint. Communem illam radicem deprehendisse mihi videor in semitico אף, quod *nasum* significat. Nam

1) nomen ex אנף exortum esse docent אפים pro אנפים, *nares*, *nasus*, *facies*, אנף, *spiravit*, flavit naribus, et Arabum *Anf*, *nasus*. Vestigia hujus formae a dialecti Hebraicae indole aliena exstant primum in *ὀμφή*, *vox divina*, quod graecae linguae legibus ex *ὀνφη* factum est, et in epico *ἐνέπω*, *ἐννέπω*, *dico*, quod ex *ἐνπω*, *ἐμπω* conformatum est, ut molliori sono ex ore elaberetur. Naturam hujus verbi acute perspexit cl. Buttmannus. Is enim recte negans, in Lexilogo I. pag. 287 seqq. *ἐνέπω* ex praepositione *ἐν* et *ἔπω* compositum esse, eandem potius ejus indolem esse vidit, qualis est verbi *πάθω* et *πένθω*, id quod argumentis gravissimis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ita comprobavit, ut quod vel ad argumentationem addatur, vel refutationis causa opponatur, nihil omnino supersit. Quare lectores illum librum adeant.

2) Verbum ὄπτω, quod inter stirpem *ΕΠ* et additum ω litteram τ insertam habet, suspicionem movet, vocis particulam, quae dicentibus molestiam facesseret, excidisse, et vel addito τ, vel vocali ο in ω producta, ut ὠπή pro ὀπή, compensatam fuisse.

3) Vox vetustissima, qua primum pars quaedam humanae faciei nominata fuit, postea in totius faciei nomen transiit. Quae quum locus et oris et oculorum esset, facilis via patuit ad eum usum, quo Graeci modo videndi, modo dicendi notionem hac una voce complecterentur. Ea causa esse videtur, cur verba ex hac stirpe profecta tam varie inter se permixta appareant et commutata. Sic ὄψ ab Homero nunquam ita usurpatum est, ut faciem significaret, sed plurimis, quibus legitur, locis semper est vox; ἐνόπη autem, quod stirpis a radice *ΟΠ* oriundae speciem prae se fert, propter sententiam *clamoris*, quam habet, ad *ΕΠ* pertinet.

At vereor, ne longius evagetur oratio. Convertamus igitur animum ad illa verba, quorum causa haec disputatio instituta est.

Primum eorum est αἴθιοψ. Quod quum planum sit et perspicuum, paucis tantum de eo disseram. Radix, ex qua copiosa ejus proles originem duxit, *ΑΙΘ*, vim habet *urendi*, ad quam omnia vocabula ex ea profecta referenda sunt. Dixit Homerus χαλκὸν αἴθοπα, aes, quod ignis fulgorem habet, aes *fulgens*, „*feuerblickend, blitzend*" (simile est Germanorum „*brandfarbig, Brandfuchs*); αἴθοπα οἶνον, vinum, quod rei combustae speciem habet, vinum *nigricans*; αἴθοπα καπνόν, fumum *caliginosum*. Alias σίδηρος vocatur αἴθων, aes igneum h. e. *fulgidum*. Superesse videntur hujus radicis vestigia in Hebraeorum אור, quod *torrem*, „*einen Feuerbrand*," indicat. Quod si verum est, exemplum habemus, quo demonstratur, vocum quarundam origines ex remotissimis temporibus ad Graecas et semiticas gentes perlatas esse. Haec ab illis quidem receptae et varia commutationis et compositionis ratione in numerum satis magnum auctae sunt; Semitae autem eas ita neglexerunt adeoque rejecerunt, ut vel prorsus interciderint, vel rara quaedam eorum reliquiae hodie supersint.

Altera vox, de qua nunc dicemus, νώροψ, in Iliadis versibus sex, in Odysseae tribus, praeterea in nonnullis hymnis reperitur. In omnibus his locis cum nomine χαλκὸς conjunctum est. Νώροπα χαλκὸν veteres interpretes *splendidum* esse volunt. Recte quidem; at perverse vocabulum explicant. Eustath. in comm. 827. 25. ad

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Il. XI. 16. haec habet: *Ἰστέον δε, ὡς εἰ καὶ νώροπα κοινότερον χαλκὸν λέγουσιν οἱ παλαοὶ τὸν λαμπρότατον διὰ τὸ στερεῖν τοῦ δρᾶν τὴν ὄψιν τῇ ἐξ αὐτοῦ ὡς οἷον ἀστραπαίᾳ στιλπνότητι.* Apparet, eum putasse, hoc verbum ex *νή*, *ὁρᾷν* et *ὄψις* compositum esse. At quam mira, imo quam barbara sit ea conglutinatio, nemo non videt. *Riemerus*, vir de litteris graecis meritissimus, at ubi de vocabulorum originibus agitur, singularis et vere incredibilis, aliam explicationem excogitavit. Is enim ab *ἀνήρ*, abjecto *α*, et *ὤψ* descendere putans interpretatur speciem virilem prae se ferens. Dubito num viri docti in hos errores delapsi essent, si meminissent semiticae vocis נור (chaldaice *nûr*, hebraice *nîr*, arabice *nâr*), quae *ignem*, *lucem* indicat. Est igitur *νώροψ χαλκὸς* aes, quod ignis speciem habet, *splendens*, quod ad eandem sententiam redit, quam *αἴθοπα χαλκὸν* habere supra vidimus.

Tertia denique vox, ad quam disputatio nostra pervenit, est *ἤνοψ*. Legimus hoc vocabulum Il. XVI, 408. XVIII, 349. et Od. X, 355. In uno horum locorum *ἤνοψ χαλκὸς* aes vocatur, quo piscator utitur ad pisces capiendos, *hamus piscarius*, in caeteris est *vas aheneum*, in quo aqua infervescit. Interpretes veteres vel *ἔμφωνον*, vel *λαμπρὸν* esse volunt. Ac prior quidem explicatio quamvis ab aeris indolem non aliena sit, quippe quod sonorum sit (Eustath. in comm. 918. 20. *ἠχητικὸς ὁ χαλκὸς* etc. *δηλοῖ μὲν καὶ τὸ ἤνοπα λέγεσθαι χαλκὸν, ὅ εστιν ἔμφωνον*), prohibet tamen ea, quam adhibuerunt, vocis etymologia, quo minus iis assentiamur. Aliam rationem sequuntur, qui hoc vocabulo splendorem aeris indicari volunt. Ego equidem non dubito, quin vera sit ea interpretatio. Nemo autem adhuc demonstravit, qui fieri posset, ut ea vis vocabulo inesset. Nam qui ab *ἐνόπτω* factum esse volunt, frustra exempla circumspicient, quibus praepositionem *ἐν* in *ἤν* mutatam fuisse demonstretur. Aperiunt viam ad originem vocis Latinorum *aen-eus* et *aer-eus*. Antiquior forma fuit aer (aes, aeris), quam Semitarum sermone servatam habemus in hebraicis אור et איר, quarum illud *ignem*, hoc *lucem* significat.

Ponamus igitur, vocem *ἤνοψ* ut priscae stirpis ramulum in epico sermone relictum ex molliore Graecorum ore *ἤνοψ*, non *ἤροψ* sonuisse, nonne hujus vocabuli interpretationem ab omnibus impedimentis vindicatam habebimus? Nam ut *χαλκὸν αἴθοπα*, *χαλκὸν νώροπα* aes ignis fulgore splendens, fulgidum esse perspeximus, ita quoque *χαλκὸς ἤνοψ* aes erit, quod ignis instar fulget, *aes fulgidum*.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tertia igitur vox est, quae cum duabas illis, de quibus antea diximus, litterarum quidem sono discrepat, sententia autem sua ad communem omnibus notionis fontem revocata ita fere congruit, ut si haec voces inter se comparentur et ex ea, quae omnibus inest, lucis notione dijudicentur, aliam alia explicari videamus atque illustrari.

Hac expositione lectoribus persuadere volui, fieri posse, ut adhibito Semitarum sermone familiae (sit venia verbo!) verborum graecorum condantur, quarum singulae, voces quamvis inter se diversae, communi tamen aliqua notione, abs qua derivantur, tamquam cognationis vinculo conjunctae arctissime cohaerent. Quam si exploraverimus, ea ad accuratiorem verborum, de quibus adhuc ambiguitur, interpretationem multum nos adjuvabit. Quod cum exemplo demonstrare, non libro amplioris volumiuis pertractare propositum fuerit, nunc disserendi finem faciam.

Restat enim, ut VOBIS, CIVITATIS HUJUSQUE URBIS PROCERES NOBILISSIMI, CURATORES ATQUE INSPECTORES GYMNASII SUMME REVERENDI, AMPLISSIMI, VOSQUE OMNES LITTERARUM SCHOLARUMQUE PATRONI AC FAUTORES, sacra anniversaria, quae die praedicto in Josephino nostro celebrabimus, indicamus. Cujus laetissimi diei splendorem, ut Vestra frequentia augeatis, ea, qua par est, pietate et verecundia rogamus.

Prodibunt autem verba facturi quatuor primae gymnasii classis, quam selectam vocant, cives hoc ordine:

Joh. Frieder. Dan. Fluhrschütz, Altenburgensis, Ulrici Hutteni in litteras humanitatis et in sacrorum nostrorum instaurationem meritas oratione latina laudabit.

Ern. Theod. Göpel, Altenburgensis, de more Aegyptiorum, de mortuis judicia habendi oratione germanica dicet.

Thankmar de Plänckner, Altenburgensis, temperantiae laudes oda latina canet.

Car. Ern. Wilh. Krause, Altenburgensis, Friederici Barbarossae mortem narrabit carmine germanico.

Quorum adolescentium primos dicendi conatus benevolentiae et indulgentiae Vestrae etiam atque etiam commendamus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tertia igitur vox est, quae cum duabas ill
litterarum quidem sono discrepat, sententia autem su
fontem revocata ita fere congruit, ut si haec voces
quae omnibus inest, lucis notione dijudicentur, aliar
illustrari.

Hac expositione lectoribus persuadere volui, f
tarum sermone familiae (sit venia verbo!) verborum
singulae, voces quamvis inter se diversae, communi
derivantur, tamquam cognationis vinculo conjunctae
exploraverimus, ea ad accuratiorem verborum, de
pretationem multum nos adjuvabit. Quod cum ex
amplioris volumiuis pertractare propositum fuerit, n

Restat enim, ut VOBIS, CIVITATIS HUJUSQ
LISSIMI, CURATORES ATQUE INSPECTORES
RENDI, AMPLISSIMI, VOSQUE OMNES LIT
PATRONI AC FAUTORES, sacra anniversaria,
nostro celebrabimus, indicamus. Cujus laetissimi d
quentia augeatis, ea, qua par est, pietate et verec

Prodibunt autem verba facturi quatuor primae g
vocant, cives hoc ordine:

Joh. Frieder. Dan. Fluhrschütz, Alte
litteras humanitatis et in sacrorum no
oratione latina laudabit.

Ern. Theod. Göpel, Altenburgensis, de
judicia habendi oratione germanica dicet

Thankmar de Plänckner, Altenburge
latina canet.

Car. Ern. Wilh. Krause, Altenburgensis,
narrabit carmine germanico.

Quorum adolescentium primos dicendi conatus
Vestrae etiam atque etiam commendamus.

TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf